
Petrius Joannes
Aminderodensis
1580.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 495 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 495 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 495 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 495 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 495 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 495 4°

42. – 123.

LN 495
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 495 4°

CARMEN GRATVLATORIVM

IN HONOREM ORNATISSIMI VIRI, PIETATE, ERVDITIONE

& ſingulari vitæ ac morum integritate præſtantis Dn. PETRI IOANNIS Aſminderodenſis Dani: cùm ei vnà cum alijs 32. honeſtis ac doctis viris in celeberrima VVitebergenſium Academia gradus Magiſterij Philoſophici decerneretur, 5. Idus ſeptemb. Anno 1580. gratitudinis ac perpetuæ amicitiæ ergò ſcriptum à

IACOBO CHRISTIANO
VVorhmaro Dano.

VVITEBERGAE
Excudebant hæredes Iohannis Cratonis,

ANNO M. D. LXXX.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 495 4°

CARMEN GRATVLATORIVM.

VT magnas conquirat opes, et diuitis auri
Pondera Mercator, ſpe lucri accenſus auara,
Quod non vrget iter? quæ non tolerare viarum
Tædia, quos ponti non audet adire labores?
Jlle nec Auſtrorum rabiem, nec frigida Cauri
Murmura, nec fluctus, nec inhoſpita ſaxa moratur,
Indocilis perferre famem: ſecat omnia puppi
Æquora: iam toto diuiſos orbe Britannos
Claſſe petit: cœlo iam Luſitana pererrat
Regna ſub occiduo: nec adhuc contentus, ad vrbes
Perſia clara tuas, volucri rate tendit, & vſq;
Fertur ad extremos etiam Garamantas & Indos.
Jnterea dulcem tenera cum coniuge prolem,
Grandæuumq; patrem, charoſq; relinquit amicos.
Ac licet ingenti ventorum turbine fractas
Naufragus aſpiciat tabulas, laceramq; carinam,
Et madidas vaſto nantes in gurgite merces:
Non tamen abſiſtit cœpto: verum acrius inſtat,
Quippe ratem inſtaurat quaſſam, membriſq; refectis

Denuò

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 495 4°

Denuò, in ignotas ſua dirigit impiger oras
Carbaſa, ſpe venti melioris, vt inde viciſsim
Byſſumq́;, floremq́; croci, gemmasq́; reportet.
At nos, & quorum melior ſententia menti eſt,
Et ſedet hoc animo fixum, veneranda Dearum
Caſtra ſequi Aonidum, doctasq́; efferre per artes
Lauriferum caput, & ſolida clareſcere rerum
Cognitione: procul patriis diſcedimus oris
Luſtrantes alio poſitas ſub ſidere terras,
Non fœdi ſtudio quæſtus: vt ſcilicet auri
Multa reportantes facti infectiq́; talenta,
Argento gemmiſq́; domum redeamus onuſti.
Non tales Parnaſſus opes, non talia confert
Munera: ſunt alij cur hos tolerare labores
Non pigeat fines: vt pulchra Palladis arte
Exculti, atq; animum præclaris dotibus aucti,
Plurima communi referamus commoda vitæ.
Sic quondam SAMIVS prædiuitis oſtia Nili
Fertur adiſſe ſenex, & quam pharetrata putatur
Coctilibus muris cinxiſſe Semiramis vrbem.
Sic PLATO Cecropias olim diuinus Athenas
Liquit, Erythræi penetrans ad littoris vndas,
Diſcendi ſtudio & rerum miracla videndi.
Tu quoq; Pierij flagrans Heliconis amore,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 495 4°

Non hærere focis, ASMINDERODAEE, paternis,
Aut, pulchrum, torpere domi ſtertente veterno
Duxiſti: at potiùs natalia linquere rura,
(DANIA regnorum qua ſe pulcherrima cœlo
Tollit ad Arcturum, gelidoſq́; remota triones)
Externoſq́; videre lares, & culta virorum
Ora ſequi, varias Pitho quibus aurea dotes
Contulit, & grato perfudit labra lepòre.
Ergo vbi veniſti properantis ad Albidos arua,
Arua quibus gratam ſibi Dia SCIENTIA ſedem
Caſtalijs fixit violis, & flore nitentem
Nectareo, ac Muſæ Permeſſidos amne relicto,
Albiacas Clario guſtant pro flumine lymphas.
Ecce peregrinum te LEVCORIS alma recepit
Hoſpitijs, ô PETRE, ſuis, vbi ſancta LVTHERI
Oſſa cubant, cineresq́; tui, diuine MELANTHON,
Quos circum geminæ, Pietasq́; Fidesq́;, ſorores,
Et trinæ Charites, Phœbusq́; nouemq́; Camœnæ,
Excubias reuerenter agunt & carmina pangunt.
Hic tibi, PETRE, viris docilem ſapientibus aurem
Mens adhibere fuit ſemper, fuit vnica cura
Pectus vt à ſtudijs doctaq́; niteſceret arte.
Aſt Dea virgineo ſpectandâ SCIENTIA vultu,
Jamdudum ingenij mirata decentis acumen,

Et

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 495 4°

Et vigiles operas, indefeſſosq; labores,
Alloquio te, PETRE, ſuo dignata, benignis
Vocibus appellat, dictisq; ita fatur amicis.
Quisquis es impauidus, qui ſacra verenda Mineruæ
Aggrederis, noſtriq; cupis faſtigia montis
Scandere, perge modò: ſortem tibi fata ſecundam
Euentusq; bonos ſpondent: te digna manebit
Gloria, (ne dubites) & laus numeroſa ſequetur.
Ipſa ego te ducamq; manu, celſoq; locabo
Culmine, Muſarum tecta atq; arcana recludam,
Oſtendamq; viam, SOPHIAE qua tutus in hortos
Expatière, tuos per amœna roſaria greſſus.
Certa regam, molli quò te ſecurus in herba
Oblectans, teneros decerpas vndiq; flores.
Tempus erit, quando viridi tua tempora lauro
Cinget, & optatos tribuet tibi Phœbus honores.
Dixit: & acceptum nitidæ ſecum intulit arci:
Nec mora Pegaſides, intra ſua caſtra recepto
Ornauère ſuis certatim pectora donis.
Has inter PIETAS blando venerabilis ore,
Qua ſine non reliquas poterit quis rite ſorores
Excolere, edocuit te, primùm exorſa, probatæ
Religionis iter, veræq; tenere ſalutis
Fundamenta, ſacrisq; incluſa oracula libris.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 495 4°

Hinc ſubit aurati donans moderamina freni
Nata Iouis cerebro PALLAS, quo flectere mores
Atq; feros animi poſsis compeſcere fluctus.
Inde nouem iuſto ſuccedunt ordine DIVAE,
Quarum aliæ varijs mentem replere capacem
Doctrinis, aliæ linguam formare polito
Eloquio certant, ſeu verba Pelaſga placeret,
Seu Romana loqui: Solymis quoq; fontibus vndam
Haurire, ac monumenta Sophum, latosq; dederunt
Hiſtoriæ campos & florida viſere prata,
Naturæq; altos animo penetrare receſſus,
Et ſtellas vtriuſq; poli, cœliq; figuras
Noſſe, quid obliquo ſignent animalia cyclo,
Quid moueant Hyades, quid Libra, quid acer Orion:
Claudat vt exactum reuolutis menſibus annum
Cynthius, & proprium rediens vertatur in orbem:
Quid pluuias, gelidasq; niues, quid fulgura gignat,
Quid denſas cogat nebulas, quæ cauſſa comati
Sideris, vnde ſuos capiat formoſa colores
Iris, & immutet toties cur aurea vultus
Luna ſuos, modò plena micet, modò cornua ſumat,
Et modò ſe tergo nobis obuertat opaco.
Talia Mnemoſynes penè infinita puellæ
Suggeſsere tibi, memori quæ ſingula menti

Inſcri-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 495 4°

Inſcribens, imis iuſſiſti hærere medullis.
Quod ſimul Aonio vidit de vertice PHOEBVS,
Non tulit vlterius dignæ te laudis egere,
Sed tacita ſecum fertur ſic mente locutus.
Hunc ego quem comitum ſolers cultura mearum,
Dotibus innumeris, variáq; exercuit arte:
Hunc ne ſinam poſthac, vt totum inglorius æuum
Tranſigat, aut merito careat virtutis honore?
Non ita: quin citius nudata coloribus Hyble
Stabit, & areſcent fontes Aganippidos vndæ,
Quàm non iuſta viris tribuantur munera doctis.
Sic aït: & lauri texens de fronde coronam,
Induitur nitidam gemmis & murice pallam
Protinus, ac rutilum digitos includit in aurum,
Leucoreasq; petens arces, caua nubila tranat,
Laurea ſerta gerens dextra, citharamq; ſiniſtra.
Hic vbi te medio Muſarum, PETRE, *ſedentem*
Agmine conſpexit, blandis arriſit ocellis,
Attingenſq; tuos ramo frondente capillos,
Et decus articulis ingens iuuenilibus addens,
Talibus exorſus placido tandem ore profatur:
Strenuus vt, partis exultat honoribus, Heros,
Qui vel Olympiaca palmam venatur arena,
Horrida vel rigidi ſectatur claſſica Martis:

Sic tu

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 495 4°

Sic tu, Palladijs acerrime miles in armis
PETRE, peractorum tandem ſperata laborum
Præmia, facundi titulumq́; capeſce MAGISTRI,
Quem damus, atq; viros inter numerare peritos:
Poſtmodò maiori nobis ornabere dono,
Et nomen laudeſq́; tuas ſuper aſtra feremus:
Tu modò macte animo, generoſo macte vigore,
Nec deſiſte tuis vnquam, chariſsime, cœptis.
Hæc vbi dicta dedit, pollentes voce Camænas
Admonet, vt tibi, PETRE, nouos gratentur honores.
Quæ ſimul vnanimi teſtantes gaudia plauſu,
Carmina depromunt citharis, & fauſta precantur
Omnia, certatìm parili ſic ore canentes:
Viuat Appollineæ decus immortale coronæ,
Viuat, & æternùm circum tua tempora PETRE
Floreat, ac ſummis tandem te vatibus æquet.
Sic capiens lætos ex te clariſsima fructus
DANIA, felicem tali ſe iactet alumno.
Finierant: ſonuère nouis applauſibus arces,
Albidos ac liquidi vicina remurmurat vnda.

FINIS.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 495 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 495 4°